Universitätsbibliothek Paderborn

Sacrosancti Nominis Iesv Cvltvs Et Miracvla

Stengel, Carl

Augustae Vindelicorum, 1613

De S. Bernardino qui morem pingendi nominis Iesv intaurauit, & quædam de Bartholomæa amitâ eius. Cap. 29.

urn:nbn:de:hbz:466:1-49813

Visual Library

Hic amor miſſus cælitus
Hæret mihi medullitus,
Mentem incendit penitus,
Hoc delectatur Spiritus.
O beatum incendium,
Et ardens deſiderium:
O dulce refrigerium,
Amare Dei filium
Iesv ſole ſerenior,
Et balſamo ſuauior,
Omni dulcore dulcior,
Et cunctis amabilior.
Cuius guſtus ſic afficit,
Cuius odor ſic reficit,
In quo mens mea deficit,
Solus amanti ſufficit.

Tu mentis delectatio,
Amoris conſummatio,
Tu mea gloriatio,
Iesv mundi ſaluatio.
Iesvs ad Patrem redijt,
Cæleſte regnum ſubijt:
Cor meum a me tranſijt,
Poſt Iesvm ſimul abijt.
Quem proſequamur laudibus,
Votis, hymnis, & precibus:
Vt nos donet cæleſtibus
Secum perfrui ſedibus.

De S. Bernardino, qvi morem pingendi nominis Iesv inſtaurauit, & quædam de Bartholomæâ eius amitâ.

Capvt XXIX.

S. Bernardinus precib. amitæ ſuæ in via Dei magis profecit.

Mira de hoc ſancto Patre narrantur, quantus nempè amator nominis Iesv fuerit, quæque mira ille virtute eius patrârit, ego tantum ſub compendio quodam referam. Sunt plerique in eâ ſententia, quemadmodum lachry-

lachrymis beatæ Monicæ S. Auguſtinus conuerſus eſt ad Dominum; ita Bartholomææ amitæ eius preces & lachrymas, quas multis annis pro Bernardino ipſi chariſſimo fudit, id diuinitus impetrâſſe, vt in via Dei magis ille proficeret, magisque confirmaretur.

Quã ſanctæ conuerſationis Bartholomæa eius amita fuerit.

Fuit hæc Bartholomæâ cum primis veneranda, ſpiritalis, & Deo deuota fæmina, quam etiam multi pro ſancta haberent. Vixit longo tempore in S. Auguſtini inſtituto & regula, ieiunijs, vigilijs, precibus & ſui amoris macerationibus vacans, Deoque perpetim gratias agens.

Quo affectu erga SS. nomen IESV.

In ſacris concionibus cum audiret nomen IESV exprimi, non potuit continere ſeſe, quin crebrò illud mellitiſſimum nomen repeteret cum ſingultu, raucâ voce, accentu ſtridulo. Quamuis eſſet ſapientiſſima, at tamen videbatur nonnunquam præ ſpiritus feruore quaſi capi ſenſibus ad recordationem nominis IESV, qui illi ſemper in corde, ſemper in ore erat, cui etiam ſepè in lecto iacens, laudes alta & clara voce promebat.

Bernardinus propter IESVM omnibus ſe ſubmittit.

Bernardinus poſtea quam regulæ S. Franciſci ſe ſubdidiſſet, præter ce tera admiranda ſpiritualis vitæ exercitia, propter Dominum IESVM cuilibet ſe morigerum & obſequentem præbebat, ſeipſum peccatorum omnium, qui in terris eſſent, viliſſimum atque deterrimum exiſtimabat. Atque ea cauſa cum infinitis ſuſpiriis & gemitibus precabatur veniam coram imagine crucifixi Saluatoris, magnas illi gratias agens, quod ad hoc vitæ inſtitutum ipſum vocaſſet, in quo poſſet ei tranquilla conſcientia, firmaque ſpe & fiducia ſeruire.

CHRISTI paſſionẽ vt conſiderârit.

CHRISTI paſſionem tam acerbè deplorabat, vt præ dolore moriturus videretur.

Cum multa condolentia cõmemorabat, eius vitam peregrinationem, famem, ſitim, æſtus, frigora, vincula, flagella, contemptum, cruciatus. Valdè mirabatur illum præ immenſo amore pro nobis ferentem crucem, nudum à cruce manibus pedibusque confixum miſerè pendentem, miſerandum in modum vulneri-

neribus ſaucium, & in tantis cruciamentis noſtra cauſa morientem. Doloris gladio conficiebatur, cum ſecum reputaret triſtiſſimam illius matrem exanime corpus eius excepiſſe in ſinum ſuum. Eiuſmodi pijs & ſalutaribus cogitationibus & meditationibus inflammabatur animus eius ad ardua & corpori moleſta ac dura exercitia & opera amplectenda.

Crebrò totas noctes duxit inſomnes in ſecreta quædam loca ſeſe abdens, atque illic vacans ſuæ deuotioni. Perpetuò aut legendo, aut meditando, aut orando, aut diuina contemplando occupatus erat. Sæpè pugnis ſuum tundebat pectus, vilem peccatorem ſe pronuncians. Dirè cruciabat corpus ſuum, & humum lachrymis madefaciebat, vt peccatoribus Deum propitium efficeret. Non rarò attentiſſimè & ſummo animi dolore, contemplans Chriſti ignominioſam mortem, pretioſumque ſanguinem fuſum pro nobis, in crucis formam ſe humi extendebat, vt cum Chriſto foris & intus ſeſe crucifigeret. In adhortationibus ſuis, publicisque concionibus, magno ſemper ſtudio excitabat auditores, vt ſe gratos exhiberent, paſſioni & morti Saluatoris, deuotionemque & reuerentiam præſtarent ſanctiſſimo nomini IESV, *quod eſt ſuper omne nomen, & in quo omne genu flectitur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum: neque aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri.*

In concionib. exhortabatur auditores ad honorē præſtandū S. IEſu nomini.

Cernens autem multam eſſe meſſem, ſed, proh dolor, operarios paucos, vrbes, caſtella, & pagos peragrabat, annuncians pigris & deſidioſis mortalibus ſanctiſſimum nomen IESV: quod nomen vas electionis Paulus portauit *coram gentibus, & regibus, & filiis Iſrael*: vt per hoc ſalutiferum NOMEN à Deo gratiam impetrarent & miſericordiam, quo per veram pænitentiam corrigerent malam vitam ſuam.

Phil. 2.
Actor 4.
Actor 9.

Solebat autem ſub finem concionum ſuarum populo tabellam ſpectandam proponere, idque inprimis re

Nomen IESV in

ſuis,è

tabella depictũ populo mõſtrabat.

ligioſè ac piè, in qua pictum erat dulciſſimum nomen IESV literis aureis, ſolis radijs vndique cinctum: Porrò populus illud ſacratiſſimum NOMEN flexis genibus deuotiſſimè adorabat. Id verò conſpicati quidam æmuli eius, diuino honori & ſaluti animarum inuidentes malitia deprauati & peruerſi, quotidiè ad eius conciones veniebant acti & incitati nequitia & malignitate ſua, vt quippiam ex eius ore raperent, vnde ei poſſent accuſationem ſtruere, & apud ſummum Pontificem falsò illum deferre. Annotarunt autem per calumniam falſas quaſdam ſententias, quas ab illo è ſuggeſtu prolatas fingebant de ſuauiſſimo nomine IESV ſecus, quàm habeat fides Catholica.

Accuſatur apud Pontificem.

Adiungebant ijs falſa quædam commenta vel interpretationes, vt coram Pontifice in hæreſis crimen eum vocarent. Quod quidem etiam factum ab illis eſt coram Martino V. adhibitis ad ſua commenta etiam malignis & falſis teſtibus quibuſdam. Atque ea cauſa ſtatim accerſitus eſt à Pontifice Bernardinus, isque nihil cunctatus, cum multo populo Viterbio profectus eſt Romam. Vbi mox ad Pontificis pedes humiliter ſe abiecit, plenus multa erga Deum fiducia. Pontifex autem acriter in eum inuectus, ait, ſi quidem res ſic ſe haberent, vt de illo relatum ſit, non eum impunè id laturum, ſed probè ipſum caſtigatum iri, tanquam temerarium Eccleſiaſten, & peſtiferæ hereſis propugnatorem. Interdixit quoque illi ſacris concionibus, & ne nomen IESV populo oſtentaret, donec re examinata certi aliquid compertum eſſet. Intereà multi docti viri, & ſacræ Theologiæ magiſtri, in omnes libros eius, quos ex diuinis literis collegerat, accuratè inquiſierunt, num quæ in ijs lateret hæreſis, nôſſe cupientes. Alij quidem Franciſcani doctores Theologi acutis diſputationibus Bernardinum tuebantur: ſed ille quoniam ſolidoq; veræ humilitatis niteretur fundamento, tam immanem iniuriam cauſſa amoris Chriſti patien-

tiſſimè tolerabat. Cùm autem in ſcriptis eius, nulla poſſet reperiri hæreſis, Pontifex probè animaduertens omnem illam accuſationem odio & liuore in Bernardinũ comparatam, quippe qui in verbis ſuis inculpatus & verax deprehenſus eſſet, illum ad ſe acciuit, & poſtquam ad quæſtiones omnes audiuit humiliter reſpondentem, copioſiſſima eum impertijt benedictione ſua, authoritateq; Pontificia clementer ei copiam fecit liberè prædicandi circumquaque verbum Dei, dulciſſimumque nomen IESV populis oſtentandi, & palam geſtandi. Atque ille poſt hæc manſit aliquandiu Romæ prædicãs, & non mediocres in populo fructus producens. Æmuli verò eius, qui eum conati erant in diſcrimen capitis vocare, cum magno dedecore inde abiêrunt, & qui præcipuus inter illos erat, Dei iudicio ſubitanea & improuiſa extinctus eſt morte.

Innocens declaratur à Põtifice.

Pontifex dat ei facultatem Nomen Iesv palã geſtandi & populo oſtendendi.

Venit quandoq; Bernardinus in oppidum quoddam, viditque hominem tabulas luſorias conficientem. Sciſcitabatur igitur ex eo, calleretne aliam artem, qua ſibi victum pararet? Illo negante, ait ad eum: Si vis facere, quod dicturus ſum, habebis, vnde te ſuſtentes. Ego verò, inquit ille, faciam equidem ac lubens. Tum Bernardinus circino expreſſit circulum, atque in eo nomen IESV pinxit, ſole circundatum: deinde ait ad virum: Tu fac ſimiliter, fili, & habebis res vitæ degendæ neceſſarias. Fecit ille, & Deo fauente, populus magno cæpit ſtudio complecti id genus nomina IESV, pluſque inde lucri acceſſit homini, quam ex damnatis illis tabulis luſorijs.

Quendã à cõficiendis tabulis luſorijs auertit, & nominis Iesv figuram conficere docet.

Cum aliquando Romæ concionaretur vir ſanctus, eſſetq; corporis admodum imbecillâ valetudine, pia quædam matrona miſit ei aromata vel confectiones, quibus pectus ſuum corroboraret. Ille verò ſeuerus corporis ſui caſtigator, qui illud affligere, quam fouere eiuſque commodis ſtudere mallet, nuntio aromata afferenti dixit: Ego his rebus non indigeo: ſed eas in vicum, &

Infirmus delitias reijcit, & ijs alteri infirmo miſſis eũ curat.

quæras hominem ex afflictiſſima valetudine decumbē-tem, dicaſque ei verbis meis : Frater Bernardinus mittit tibi hæc aromata ipſi miſſa, vt tu ijs in *nomine IESV* vtaris, teque confirmes. Mira res : ſimul atque guſtauit æger ille aromata, è lecto ſanus ſurrexit.

Mol. de pictur. & Imag. cap. 56. De pictura memorata nominis IESV D. Molanus ita ſcribens : *Videri*, inquit, *poſſet inconuenienter nomen IESV pingi in radijs ſolaribus. Sanctus enim Antoninus dicit part 3. Hiſtoria tit. 24 cap. 5.* quòd Martinus Pōtifex ſan&o Bernardino mandauit, ne tabulam hoc nomine depictam, amplius, vt conſueuerat, populo oſtenderet, veritus, ne ex ea nouitate aliquid ſuperſtitioſum aut ſcandaloſum in Eccleſia ſuſcitaretur. Quod etiam ille, vt filius obedientiæ, humiliter impleuit. *Iſta S. Antoninus. Sed hæc tria mala*, inquit Dn. Molanus, *nunc ceſſant. Siquidem Clemens ſeptimus, petentibus Minoribus, inſtituit in toto eorum ordine, & ſororum S. Claræ Feſtum Duplex maius & ſolemne de ſacratiſſimo nomine* IESV : *idemq́; Feſtum per multas Eccleſias celebre eſt, etiam apud plebem.* Hactenus Dn. Molanus.

Oratio ad IESVM,

S. Bernardino Confeſſori adſcripta.

O Bone IESV, ô pijſſime IESV, ô dulciſſime IESV, ô IESV fili Mariæ virginis plene miſericordia & pietate : ô dulcis IESV, ſecundum magnam miſericordiam tuam, miſerere mei. O clementiſſime IESV, te precor per illum ſanguinem pretioſum, quē pro peccatoribus effundere voluiſti, vt abluas omnes iniquitates meas, & in me reſpicias miſerum & indignum, humiliter veniam petentem, & hoc nomen ſanctum IESVS inuocantem. O nomen IESV, nomen dulce,

nomen Iesv, nomen delectabile: nomen Iesv, nomen confortans: quid eſt enim Iesvs, niſi Saluator? Ergò Iesv propter nomẽ ſanctum tuum, eſt ô mihi Iesvs, & ſalua me: ne permittas me damnari, quem tu de nihilo creaſti. O bone Iesv, ne perdat me iniquitas mea, quem fecit omnipotens bonitas tua. O dulcis Iesv, recognoſce quod tuum eſt, & abſterge quod alienum eſt. O benigniſſime Iesv, miſerere mei, dum tempus eſt miſerendi: ne damnes me in tempore iudicandi. Quæ vtilitas in ſanguine meo, dum deſcendero in æternam corruptionem? Non mortui laudabunt te Domine Iesv, neque omnes, qui deſcendunt infernum. O amantiſſime Iesv, ô deſideratiſſime Iesv, ô mitiſſime Iesv, ô Iesv, Iesv, Iesv, dimitte me inintrare in numerum electorum tuorum, ô Iesv, ſalus in te credentium, ô Iesv, ſolatium ad te confugientium: ô Iesv, fili Mariæ virginis, infunde in me gratiam, ſapientiam, charitatẽ, caſtitatem, & humilitatem, vt poſſim te perfectè diligere, te laudare, te perfrui, tibi ſeruire, & in te gloriari, & omnes, qui inuocant nomen tuum, quod eſt Iesvs. Amen.

De Vbertino de Casali mirifico nominis Iesv prædicatore.

Capvt XXX.

En alium produco SS. nominis Iesv prædicatorem Vbertinum, Ordinis Minorum S. Franciſci Profeſſorem, qui centum quinquaginta articulis hanc materiam latiſſimè libris quinque eſt perſequutus, in illo